

# LECTORI

S.

**S**ISTO tibi, amice Lector, A. CORN. CELSUM, auctorem latinissimum, medicum sapientissimum, prudentissimumque. Cujus ego amorem tibi si velim commendare, idem fecero, quod hederam qui suspendit vino veteri & bono. Quemadmodum namque virtutem non potest non amare ac sequi, quisquis ejus pulchritudinem atque pretium novit: ita Celsum nemo non aestimat, nemo non diurna versare manu, versare nocturna studet, quin in succum & sanguinem, quod ajunt, convertere; nisi qui ignorat, quanto nitore atque cultu, quanta industria atque solertia istos de Re medica libros octo (solos nobis ex pluribus eisque eruditissimis ingenii ac vigiliarum egregie elaboratarum monumentis reliquos) scripserit, atque ex Hippocrate cum primis, medicinae parente, contraxerit, adhibitis in omni graviore negotio etiam in consilium aliis, & semper quidem optimis auctoribus. Quales omnino necesse est fuisse, si sola confusus ingenii magnitudine, nulla artis exercitatione comparata notitia, tam admirandum nobis opus concinnare est aggressus. Quod me non credere, jam supra dixi. Scepticos in scribendo sequutum, auctor est Quintilianus. Quod si de sermonis ornatu intellexit, concedi potest: non facile, si de modo doctrinae. Ita enim scripsit, ut qui neutiquam dubitavit, non suam modo sententiam aperte profiteri, sed & summorum quoque virorum ad incudem cum rationis tum

\*\*\* 3

62-

## P R A E F A T I O.

*experientiae revocare; quia & necessaria ac laudanda in artibus libertate mutare praecepta eorum, qui medendo scribendoque se ostendebant aberrare, non tam à placitis & à doctrina majorum, quam ab officio medici; quod Asclepiades esse dicebat, referente nostro, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet. Ubique autem ea usus est modestia Celsus, ut, etsi numquam tanti putaret auctorem, quanti hominum salutem, neminem sua tamen laude fraudaret. Quamquam vero jam ipsius aetate medicina esset in tres sectas, easque plurimum inter se dissentientes, diducta; ita tamen Dogmaticae (quae minime omnium deflectebat ab Hippocratica) se applicuit adhaesitque, ut nihilominus etiam ab Empiricae atque Methodicae principibus acceperit, quae rationalis conjectura atque fidelis usus comprobassent: dignus vel ipso proposito, ut eum penetrasse cujusvis sectae omnia, atque delectu habito, in hanc velut multorum operum epitomen congestisse meliora quaeque, credamus. Forma operis, supra quam nostrum putat vulgus, ornata est, & ordinata. Sermo toto in opere plenus, purus, venustus, castus, & quod praecipuum est, accommodus rei tradendae; adeo ut in medicina quidem nemo uti meliori scribendi magistro queat. Ordo, quam in toto dilucidus, in partibus articulatus, iam est in utrisque appositus ad usum. Quem ut solum Celsus spectavit, ita nihil eo non pertinens, non necessarium attulit: quin, resectis omnibus, non dicam superfluis, sed quae aliunde & possunt & revera debent accipi, eam solummodo Medicinae partem persecutus est, in qua proprie & principaliter ars consistit. Quo de dicerem plura, nisi te discere hoc ex ipso auctore malletm. Ego certe, propter*

P R A E F A T I O.

propter quae dixi, illum mihi semper habui familiarem, & dignum, in quo non solum versando studii, sed & emendando operae plurimum, atque laboris ponerem. Itaque conquisitis in eam rem necessariis, quae quidem potui, hoc in praesenti egi, ut textum exhiberem quam maxime emendatum. Feci id adjutus iis subsidiis, quorum mox catalogum exhibebo. Quantum fecerim, non aliunde rectius cognosces, quam si conferre editionem hanc cum omnibus velis, quae prodierunt haecenus. Praeter quae dixi, saepe mihi fuit Hippocrates ad-eiundus. Quem quanti noster fecerit, non tam ex ore ipsius, quam opere disces; quod, quia omnibus paginis quamplura exinde transsumta continet, auctori meruit nomen Hippocratis Latini. Quae causa mihi curatius utrumque conferendi, & colligendi quoque, quae Foësius in doctissimis suis ad Hippocratem notationibus pridem observavit. Quaedam, sed admodum pauca, ex ingenio tentavi, & nisi cum res aperte postularet. In caeteris, ubi mei mihi libri & ingeniosae summorum virorum conjecturae non prae lucebant, malui errorem retinere, aut locum in suspitione saltem relinquere. Quod & eo securius mihi licere putavi, quia Cl. D. Johannem Rhodium, virum inter seculi & nostrae artis primos, à multis annis ex multo plurimis cum membranarum tum libris emaculatissimum & quem ab Auctore habuit, nitore haud dubie restitutum ac lucupletissimis commentariis illustratum, penes se servare scio. Quem & rogo, (si quid veteris se amicitiae memoria patitur rogari) ut ne diutius protollat expectationem atque desiderium eorum, qui & Celsum & Rhodium in pretio & amore magno suo merito habent. Glossemata offendi plu-

P R A E F A T I O.

ra: nullum tamen, praeter forte unum, quod nimio erat ἀπεροδιόνυσον, ausus sum de medio tollere, quia nullum huc praeuntem habebam librum. Librorum in capita distinctiones uti ab ipso auctore esse certum est ex VI. 12. & VIII. 9. in fine: ita lemmata illis adscripta esse à librariis, & è margine in titulos transsumpta, ne locus quidem dubitandi est; unde & aliquid licere mihi in istis putavi, quin, si forma operis fuisset, redire eo, unde venerant auctoris injussu, jussissem. Praeter haec animus erat, notas addere, & quasdam nostras in auctorem observationes: sed, praeter quam modo retuli, causa alia fuit libri forma. Quam & ego & typographus ἰμετακόμισον in praesens malebamus: ille, lucri gratia; ego, auctoris. Quem mihi spes est reperturum tanto plures emtores lectoresque, quanto est editio ista caeteris emendatior, & elegantior atque aptior ad circumferendum. Vale & tuus mihi favor sit stimulo ad tuum in commodum majora melioraque conandum.

